



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 3. Hominum inobedientiam, ab obedientia bestiarum in ruborem dari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

se leo de vnico hoste vindicârit. Multi homines non contenti sunt inimicum perdere, sed scœuiunt etiam in amicos inimici. Atque hæc de primo satis.

§. III.

Hominum inobedientiam, ab inobedientia bestiarum in ruborem dari?

Sed ad secundum venio, & cum Seneca, dico: *Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac scœminis persultantibus, terga impunè calcata, & repentes, inter pocula sinusq; innoxio lapsu, dracones, & intra domum vsorum, leonumq; ora placida tractantibus, adulantesq; domino feras, pudebit, cum animalibus permutasse mores. Quis enim rubore non perfundatur, si videat, humanam quodammodo in belluis mansuetudinem, in se autem animû ad ferinos mores, ad indomitam obstinationem obbrutuisse?*

Officia, inquit idem Seneca alibi, etiam fere sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impunè tractantur. Et homo se non sinit tractari à Deo? Elephas collo jugum submittit; & homo excutit à se suauè jugum Christi, dicens: Non seruiam?

Cc 5 tur,

Senec.
l. 2. de ira.
cap. 31.

Senec.
lib. 1. de
benef.
cap. 30.

Matth. 11
30.

Iob. 21. 14. tur, esse, qui dixerunt Deo: Recede à nobis,
 & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis
 est Omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis
 prodest, si orauerimus illum? Patitur leo fra-
 num hominis, & homo nulla se finit lege
 frænari? Tauro stimulo impellit modicus
 puer, & homo sese à Deo non finit, ad vir-
 tutem extimulari? *Super aspidem & basiliscum*
 ambulat homo, & conculcat leonem
 & draconem, & ipse vult à Deo in manibus
 portari? Deniq; *omnem naturam bestiarum,*
volucrum, & serpentium, & ceterorum do-
mari, & domita esse ab humana natura sci-
 mus, & nos domare Deus non potest? Non
 ferimus leges, præcepta cõtemnimus, obe-
 dientiæ nullam audire volumus mentio-
 nem; cùm interea videamus, nobis accipi-
 tres, falcones, aquilas in aëre, delphinos,
 murænas, ipsas balænas in aquis obedire.

§. IV.

Exemplo bestiarum, ductorem & legem se-
quendos, non ducendos.

Nulla ars absque magistro discitur, ait S.

§. Hiero-
 nym. ep.
 4. ad Ru-
 sic.

Hieronimus, etiam muta animalia, & fera-
rum greges ductores sequuntur suos. In apibus
principes sunt. Grues unam sequuntur, ordi-
ne litterato. Imperator vnus, Index vnus pro-
uincia